



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 67. Albæ Dux Bruxellas victor ingressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1569.

§. LXVII.

*Albæ Dux Bruxellas victor ingressus.*

*Strada l. 7.  
de bello  
Belg.*

Postquam Albæ Dux Bruxellas venerat, pro felici armorum successu in gratiarum actionem publicas preces per universum Belgium decernebat; insuper Pius quintus, eidem utpote Religionis Catholicæ Defensori, galerum, gladiumque auro, gemmisque distinctum, ac Pontificiis precibus solemni ritu sacratum transmisit, reliquum vero diem Albæ Dux transigi iussit ludicro hastarum spectaculo, aliisque festivis decursionibus, quæ tamen in populo non eandem sinceram excitabant lætitiâ, quam Dux expectaverat, nam plures hæc spectacula non sine dolore, ac gemitibus conspiciant. (\*) licet enim reipsa gauderent, Oranium Principem esse devictum, Albanum tamen victorem evasisse dolerant, potissimum eo nomine, quod in eodem loco, ubi anno priori tot Proceres morti adjudicaverat, nunc etiam de hæreticis victoriam reportarit. Accedebat præterea ad acuendam civium invidiam, quod Dux ubique tam sol-

(\*) Scilicet illi: qui (ut inquit Strada) non victorem Albanum volebant.

licite novos erexerit Episcopatus, & Sæcul. XVI.  
A.C. 1569.  
 contra eos, qui de hæresi suspecti erant, Inquisitionis Sacræ armis uti voluerit: cum vero plures coram hoc tribunali, quod ab hæreticis *Consilium sanguinarium* appellabatur, comparere juberet, quamplurimi ob pœnæ metum e patria exulabant, imo artifices, quibus tum Belgium abundabat, ferme omnes ob legum, ac Constitutionum severitatem excefferunt: unde ubique deserta cernebantur loca, ac undique desolationis, & calamitatum vestigia deprehendebantur: his tamen exulibus tum Anglia utpote vicinior veluti unicum asylum erat: Belgium vero ex frequenti incolarum discessu ingens patiebatur damnum.

§. LXVIII.

*Statua in arce Antverpiana Albæ Ducis jussu erecta.*

Arces inter hæc ubique per Belgium *Thuan. l. 46.*  
*Grotius annual. de reb. Belg. l. 2. p. 32.*  
 inchoatæ continuatis operibus festinabantur, & Antverpiensis imprimis, qua ad exitum fere perducta Albanus Dux, ne quid aut ad provinciæ securitatem, aut ad privatum decus deesset, monumentum in ea sibi non tam gloriosum, quam invidiosum erigi curavit, ideo ad illud perficiendum confiari jussit ingentem molem ex tormentis æneis

Lu-